

ræ à Sole, hoc est, Terra distat à Sole 100 diametros Solares vel 1000 diametros Terrestres.

(3) Cubus ex Solis diametro est distantia Saturni à Sole; hocque modo distaret Saturnus à Sole 1000 diametris Solaribus seu 10000 Terrestribus.

(4) Statuit quadratum distantiae Saturni, esse distantiam Firmamenti, hoc est: Cælum stellatum distare 1000000 diametris Solaribus, quæ constituunt 10000000 terrestres vel 20000000 semidiametros Terræ.

Quia autem semidiameter terrestris continet 860 mill. germ. prodibit distantia Firmamenti 17200000000 mill. Germ. Unde (si Cælum stellatum, non verò Terra motu diurno cursum istum 24 horarum absolveret) quælibet Stella in Æquatore, unâ horâ 716666666 $\frac{2}{3}$  milliaria germanica perageret: Unâ sexagesimâ parte horæ 11944444 milliaria: Uno minuto secundo autem, quod instar momen-

Secundum  
Marianam,  
promoveret  
se Cælum in  
momento  
200000  
mill. ger-  
man.

ti est, promoveret se Cælum per 199074, mill. germ. quæ faciunt 36 peripherias Terreni globi, & adhuc 4674 milliaria germ. Talem fere quoque celerrimum, omnem sanum sensum & intellectum turbantem motum, Mathematicus iste insignis *Pater Christophorus Clavius in Sphæram Joh. de Sacrobosco*, Ptolemaici Systematis assertor, concedere cogitur; dum supernaturalem istam Stellarum distantiam videt, nihilominus autem istius opinionis pertinax est, Stellas scil. Fixas quotidie circumvolvi, dum inquit: *Tantum esse illud spatium, quod unâ horâ quælibet Stella æquatoris conficiat, quantum homo, etiamsi quotidie 10 milliaria germanica curreret, vix annis 3000 conficere posset.*

Ejusmodi  
ferè celerrimum  
motum stellis  
adscribit  
P. Christoph.  
Clavius.

Quia autem tales & similes irrationabiles conclusiones ex Hypothesi Ptolemaica ut & Tyconica sequuntur, correxerunt Copernicani has hypotheses & motum illum attribuerunt Terræ.

## CAPUT XXVIII.

### De Stellarum Distantia secundum Pythagoræos seu Copernicanos, Solem collocantes in medio Mundi.

Modus mensurandi secundum Copernicanos.

**P**ythagoræi, Solem locantes in Mundi Centrum, & motum stellarum Fixarum negantes, fundamentum dimensionis Fixarum, non in Terræ semidiametro (quia semidiametrum Terræ ad incredibilem Firmamenti distantiam in respectu nihilæstiment) sed in radio magni orbis Terræ ponunt, ex eoque parallaxin quærunt. Est autem hoc loco sciendum:

(1) Quod radius magni orbis Terræ, sit distantia Terræ à Sole, quæ secundum *Ptolemæum* sumitur pro 1210 semidiam. Terræ, vel pro 1040600 mill. germ. vide cap. antec. 23.

Quid sit  
radius magni  
orbis  
Terræ.

Quid sit  
magnus orbis  
Terræ.

(2) Magnus orbis Terræ (qui in Ptolemaica & Tyconica hypophthesi orbis Solis sive orbita Solis est) peripheria illa est, quam Terra annuo motu circa Solem facit; ac reperitur secundum dictam Ptolemaicam hypophthesin, 7606 semidiam. Terræ, sive 6540914 mill. germ.

(3) Sphæra magni orbis Terræ (vel in Ptolemaico systemate sphæra Solis, seu sphæra orbitæ Solis) dicitur sphæricum istud corpus (sive in sententia nostra, Spatium illud Vacuum) mente conceptum, quod Terra, circulo suo annuo, circa Solem comprehendit.

Quid sit  
Sphæra Magni orbis  
Terræ.

Quia verò per 19. 5. *Euclid.* ac per ult. 12, sphærae sunt inter se, ut cubi semidiametrorum, ideoque si cubicè multiplicemus semidiametrum Terræ 1, fiet 1; ac si cubicè multiplicemus semidiametrum magni orbis, 1210 semidiametri Terrestres, fient 1771561000. Item si cubicè multiplicemus 220 (tot enim vicibus semidiameter orbis magni, continet semidiametrum Solis) fient 10648000 corpora Solaria, quot continet sphæra magni orbis: Ex quibus sequitur: Sphæram Terræ, majorem esse Terra 1771561000 vicibus, & majorem Sole vicibus 10648000, hoc est: capacitas sphærae orbis magni juxta Ptolemæi Hy-

Capacitas  
Sphærae magni orbis  
Terra juxta  
Ptolemæi  
distantiam  
Solis à Terra.